


F. K. 58. (15)

N. 35



RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
AD FUNUS
EXIMIÆ FÆMINÆ
DOMINÆ
MARIÆ REGINÆ,
DOMINI
JOHANNIS HOMMELII,
JURIS PRACTICI,
HORA III.
HODIE XXI. AUGUSTI cœloccV.
DEDUCENDUM
CIVES SUOS INVITAT.






Nter mortales sunt, qui malunt morbo vehementi uringi, quam lento & diurno cruciari. Ex illo enim fore sperant, ut aut sanitatem mox recipient, aut succumbentes a miseria liberentur; ex hoc vero dolores & tormenta longa sibi ferenda metuant. Hinc horrere solent legentes audientesve aliquos multis annis ægrotasse; Mulierem illam obnoxiam fuisse profluvio sanguinis annis duodecim, multaque perpeßam a complu-
ribus Medicis, & intumſisse omnia sua, neque quicquam adjumenti sensisse, sed magis in deterius venisse, Marci V: Aliam mulierem decem & octo annis contractam jacuisse, neque omnino potuisse erigere caput, Luca XIII. Hominem pauperem ad piscinam Probaticam triginta & octo annos ægrotum decubuisse, Joh. V. Vidum Grammaticum Thrasimenum annis quatuor & viginti, Comitem de Morval Caroli V. Cæſaris amicum triginta tribus annis, & totidem Henricum Hasson, agricolam germanum, quartana febri infestatos, (Avicenna ergo observationibus deſtitutus scriptis, quartanam ultra duodecim annos durare non polle): Claram Virginem piam viginti octo, Coletam quinquaginta annos difficiles morbos sustinuisse; Fœminam Baronissam, referente Zeilero, doloribus colicis tortam & contractam septem annis, Norimbergæ autem anno 1649 mortuam. Hos aliosque, inquam, nonnulli mortalium qui aspiciunt, infeliciiores miserioresque longe opinantur aliis subita morte, aut brevi morbo extinctis. Enimvero non sunt cogitationes DEI, quæ hominum; non est idem sensus piorum, qui, non quod sibi videtur, sed quod DEO suo placet, unice volunt. Peccata nostra durant per totam vitam; cur non & poena aut castigationes paternæ divinæ aque diu conti-
nuerunt? Comitem de Morval, quem febris triginta tribus annis tenuit, Carolus V. ordinis Equitum Aurei Velleris adscripterat, ut gaudio honoris refocillatum erigeret: sed eo percepto ægrotans tertio die mortuus est. Similiter Anima hominis se habet. Vita spiritualis melius in adversitate, quam in felicitate conservatur. Utilius ſæpe est & salubrius afflictionibus angi, quam ab eis liberari. Vir pius fuisse dicitur, qui cum diu ægrotasset, & levamen morbi, sed & minus, quam ante habuerat, cœli desiderium sensisset, tristis DEUM suis precibus aggressus, compellavit, ut dignum porro ſo-
faceret paternarum & tolerabilium castigationum. Sane mulits, qui, postquam enor-
bo sani corpore, pejores animo & vita facti sunt, profuſerit idem contingere, quod accidit Domino de Role, Maximiliani I. Cæſaris Aulae Magistro, qui octodecim annis fe-
bricitans, a febri & liberatus eodem anno, & defunctus est. Adhaec patientia nonnisi in
adversis exercetur & conspicitur, & quo hæc duriora & diuturniora, eo illa major, illu-
ſtrior & admirabilior. Gentiles quosdam impatientia morborum impulit, ut in sua corpora ſavirent. Sesostris Rex Ægypti, ſenex, in morbo oculis caligare incipiens,
M. Portius nobilis Orator, febris impatiens, ſe ipſos interemerunt. Hadrianus Im-
perator Romanus variis cruciantibusque ægritudinibus affectus, magnam ei pecunia sum-
mam promisit, qui venenum aut cultrum ſibi porrigeret, quo vitam finiret. Nemine
verò afferente, ſine omni ſolatio miferam animam exhalavit. Et ſtulta uxor Jobi ma-
ritum ſuum ad impatientiam & vitam finiendam stimulabat, Jobi II, 3. 4. Alia Chri-
ſtianorum est disciplina, ex qua patientes ſunt in afflictione, Rom. XII, 12. ſcientes, quod
exploratio fidei pariat patientiam, patientia autem debeat firma manere usque ad fi-
nem,

nem, Jacob. I, 3. 4. Philosophi Gentiles ex Sapientia sua præceptis adversus dolores morborum mortisque animum suum præparare studuerunt. At quidam vanum ex iis solatium esse fas si sunt. Heracleotes multa docuerat de cruciatibus constanti animo sufferendis. Postea cum ipse renum doloribus affligeretur, clara voce clamavit: Falsa sunt omnia, quæ antehac dixi de doloribus patienter tolerandis. Nam, qui tam multam operam laboremque in philosophiam impendi, ipse cruciatus ferre nequeo. Alii obfirmantes animos suos molestias magnas perpessi sunt, aut, quod ab ipsis se eximios esse non posse viderent, aut vanæ gloria causa. Democrates ajebat: Si discendo patientiam possemus malorum passionem effugere, præclara hæc esset institutio. Sed quid juvat prius discere, quæ pati oportet, quæ nihilominus oportet pati. Socrates et grotians cum interrogaretur, quomodo se haberet, bene respondebat. Nam quomodo docunque cadat morbus, bene erit. Siconvalesco; plures quam ante discipulos habeo: Si moriar; major erit mea gloria. Non ita Christiani: hi ex amore DEI Patris castigantis, & Christi, cui conformantur, sustinent patienter afflictiones, certi quod plus ponderis sibi imponitur, eo plus roboris sibi dari ad ferendum, consequendumque finem vitæ, salutem æternam gratiose promissam. Porro etiam morbus eorum mentem, quibus sanis ingrata erat mortis recordatio, parcus & infrequens DEI cultus, sanitatis estimatio fere nulla, immutare solet. Bion Borysthenites disputando conabatur evincere, nullum esse DEUM, omnianque fortuito aut casu in mundo fieri. Cum in morbum incidisset, tunc sacrificia jussit offerri pro sanitatem sua. Multi ægrotorum sancte vovent meliorem vitam, si sanitatem receperint. Frustræ. Exeundum est ex hac vita. Hinchartur Apostolus ad Galat. VI, 10. Itaque dum tempus habemus, operemur bonum: venit enim nox, quando nemo potest operari, Joh. IX, 4. Communis denique utilitas morborum est vanitatem omnium bonorum & honorum humanorum, auxiliique, quod homines universi aliis præstare possunt, agnoscere. Johannes Aragonum Rex, narrante Majolo Tomo II. Colloquio VII. fol. 801, febri correptus, omnes qui aderant adspiciens, exclamavit: O vanas hominum cogitationes! O miseros omnes, qui ad principatus aspirant, qui divitias, opes, & nimios honores affectant! O felicem pauperum conditionem, & illorum securam vitam atque beatam, qui panem comedunt cum sudore sui vultus, qui vivunt labore manuum suarum! Nam mihi misero quid regnum, quid honores, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid? labores scilicet magnos, & multa corporis & animæ pericula, nec unquam ætate tam longa, potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miserum & infelicem, qui tam sero fallacem mundum cognosco! qui vitam certe vixisse multo meliorem, si non Rex, sed pauperis agri cultor fuisset. Femina eximia, cuius exequias hoc programmate indicimus, Domina Maria Regina, uxor dilectissima Domini Johannis Hominelli, Jurium Practici apud nos, annis octodecim agroravit. In quo longo tempore afflictio ei patientiam peperit, patientia probationem, probatio spem; spes non pudefecit eam, sed sustentavit, sed salvavit, quod dilectionem DEI effusam in corde suo sentiret per Spiritum S. sibi datum, Rom. V, 3. 4. 5. Quam laudem, felicitatem, & beatitudinem ipsi vere tribuemus, cum curriculum vitæ recensuerimus. Nata est Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, die vicesimo Aprilis, Patre Dn. M. Simone Wachio, Pastore per tri-ginta tres annos ad S. Johannis suburbano vigilantissimo, Matre Magdalena Dn. Pauli Monchii, Pastoris primum in Valle Joachimica, post exulis, tandem itidem ad S. Johannis Pastoris filia. Horum Parentum suorum institutione & cura tam in Religionis Christiana capitibus, quam in iis, quæ lexus hujus propria sunt, & laudem in eo faciunt, ita adolevit, ut virgo esset ornatissima. Iis virtutibus florentem, Dn. Christianus Seyffert, Juris Utriusque Candidatus Examinatus & Practicus estimavit, conjugem sibi dari a Parentibus petiit, & Anno M DC LXX. d. XII. Aprilis solemnisiter sibi adductam accepit. Cum quo ipsa concordi semper animi voluntate concinens octa annis, peperit liberos duos, filium Dn. Gottfried Christianum Seyffertum, nunc Juris Utriusque Doctorem & Advocatum, & filiam Johannam Reginam. In qua prosperitate viventem DEUS mox in Crucis Scholam duxit, in qua mature exercita, posthac magnos progressus ficeret, insigneque aliis exemplum patientiae & constantiae præberet. Nam post

JK 26 74 99



nuptias vix tredecim septimanæ erant, cum patrem mors auferret. Anno MDCLXXVIII. d. VII. Maji desideratissimum maritum amisit, & mox d. X. Augusti filiam Johannam Reginam demortuam necesse habuit efferre. Inter has misérias vidua in uno DEO omnem spem suam, omne präsidium posuit, verbum ejus in Templo audivit, domi legit, obsecrationibus nocte dieque institit, filio de recta informatione sedulo prospexit, donec Anno MDCLXXXII. ad secunda vota transiret, ei se legitime adjungens d. XXII. Octobr. qui nunc ipsius mortem viduus tristissimus luget. Eo enim amore, fide, obseruantia ipsum prosecuta est, tam provide ac diligenter curavit domum, tanta sedulitate eduxit unicam filiam Reginam Mariam, ut bona uxoris laudem obtineret. Quid nunc de pietatis studio, tam publice in concionibus sacris, a quibus non facile abfuit, nisi cum morbis impeditur, quam domi diligenter praefito, quid de ardenti devotione infrequenti S. Cænæ usu, quid de modestia, de officiositate propinquis aliisque exhibita, de misericordia erga pauperes, & pluribus aliis virtutibus, quibus mores vitamque suam insignivit, dicemus? Prae ceteris Patientia & Constantia ex adversis singulariter emicuit. Gravibus difficilibusque morbis aliquibus per vitam suam laboravit, quantoque virtute eos ferre possit, ostendit. Restabat vero alia gravis valde ægritudo, qua diu torquens, patientiam roborante DEO perficeret & consummaret. Ea jam octodecim abhinc annis corpus ejus adorta est, inducias alias concessit, non dimisit, et si medicamenta diligenter adhiberentur. Itaque poterat aliquando in templum se conferre, amicosque invisere. Sed intra annum malum ita invaluit, ut plenumque lecto attineretur: Per semestre proximum cibos non appetiit, nec quievit. Inter haec Filia unica amoris vicem Matri rependens semper adfuit ad ferendam, quam posset, opem. Non dierum, non noctium multitudine hanc industriam & vigilantium imminuit aut frexit. Vedit pietatem istam Mater, DEUMque precata est, ut pro ea Filia aliquando velit benefacere. Acceptas habuit ille has preces, fecitque, ut ipsa filiam nuper die XXVIII. Julii, Dn. Johanni Hieronymo Goldschmidio, Academiæ nostræ Astuarij jurato, locatam videret. Post quas nuptias quasi liberatura Filiam ab onere, maritoque penitus addictura, decadentibus exiguis, qua supererant, viribus iterum ardentissime oravit, beatam analysis a DEO post tam diuturnum morbum concedi, sacro-sancto viatico in ultimam necessitatem se muniti, in prectionibus perficit. Exaudiuit clementissimum Numen etiam istas ejus preces. Eas enim, præunte Patre Confessionario, repetens d. XVII. Augusti, hora dimidia tercia pomeridiana, placide soluta est, cum fecisset annos LIV, mens tres, septimas duas. Augustissimus Pater Ecclesiæ Augustinus verba Davidis Psalmo XXXV, II. Prætende, inquietus, misericordiam tuam scientibus te, & justitiam tuam his, qui recto sunt corde, ita explicavit: Illi sunt recti cordis, qui seqvuntur in hac vita voluntatem DEI. Voluntas DEI aliquando est, ut sanus sis: aliquando ut ægrotus. Si quando sanus es, dulcis est voluntas DEI: & quando ægrotas, amara est voluntas DEI: Non recto corde es. Quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem DEI, sed DEI vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu es curvus: Voluntas tua corrighenda est ad illam, non illa curvanda est ad tuam, & rectum habebis cor. Bene est in hoc sæculo? Benedicatur DEUS, qui consolatur: Laboratur in hoc sæculo? Benedicatur DEUS, qui emendat & probat. Et eris recto corde dicens: Benedic Domum in omni tempore. Ille igitur solus cor rectum habere dicendus est, qui vult quod vult DEUS. Fæmina nostra beata cor rectum habuit, suam Divinæ Voluntati conformans, in ea acquiescens, eam laudans vivendo, patiendo, moriendo. Nunc soluta & liberata morbis, qui afflixerunt vitam diu, eo translata est, ubi solatium, ubi quies, ubi sanitas, ubi tranquillitas, latitiaque perpetua. Corpus ejus exanime, particeps ejusdem felicitatis olim futurum, interea terra more Christiano hodie hora III. pomeridiana committendum est. Vestrum ergo erit, Academici Cives, id frequenter prosequi ac deducere. P.P. die XXI. Augufti,

Anno recuperata gratia clo I cc V.

LIPSIÆ,
Literis CHRISTIANI SCHOLVINI

VD18

F. K. 58. (15.)

IV, 35


Zb
74.92

RE
UNIVERSIT
EXIM
DO
MARIÆ
D
JOHANN
JURIS
HODIE XXI
CIVES

NSIS

NÆ,
KELII,

LoccV.



Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

